



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

Opus bonum hominis peccatoris, quomodo potest dici & esse bonum. tit.  
156

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

sericordia promissit coronare dona sua propter Christum, ideo habent diuersa præmia in præsentem & futuro, sicut stella differt à stella in cælo, 1. Corinth. non tamen nos statuere debemus quantitatem præmiorum, sed hoc relinquere Deo, scientes quoniam remissionem peccatorum, donationem Spiritus sancti vitam æternam habemus propter solam Christi victimam, & non propter opera nostra. Subinde quoniam credimus promissioni diuinæ, quæ ex misericordia promittit præmia, Matth. 19, Luc. 19. quartum Petrus, Domine, nos relinquimus omnia, &c. Ideò, & illi hoc totum committimus. Noli ergo contendere & dicere, hoc opere merui remissionem peccatorum, per hoc vitam æternam: sed nesciat similitudinem quid faciat dextra, Matth. quinto, Noli tu appreciari dona Dei, sed viue in spe misericordie Dei, ipse omnia abundanter recompenfabit, iuxta illud. Merces vestra copiosa &c. Nos solum operum necessitatem pensare debemus, quia Deus præcepit illa facere, cui obedientiam debemus, quia Deus præcepit illa facere, cui obedientiam debemus, Matth. quinto, Luceat lux vestra &c. Et tertio, Facite dignos &c. nam si secundum carnem vixerimus, moriemur, Rom. 8, 1. Corinth. 6. Galat. 5,

Secundò, opera impetrant ingentia præmia, videlicet, qualia describuntur Deut. 28. Leuit. 26. Exod. 20. hic & in futuro. Secundò, pœnarum mitigationem. Sic opera Niniuitarum, Ionæ 3. augmentationem bonorum temporalium, sic lecythus olei, 3. Reg. 17. & hydria farinae viduæ non defecit, 4. Reg. 4. Quartò, media sunt, quibus nos Deus inducit ad possessionem vitæ æternæ, Matth. 25. Venite, possidete. Non est iniustus Deus, vt obliuiscatur &c. Heb. 6.

*OPUS BONUM HOMINIS*  
*peccatoris quomodo potest dici & esse bonum.*  
 TITVLVS CLVI. Opus



PVS bonum dicitur opus peccatoris  
 hominis, quia est per fidem & dilectio-  
 nē Christi sanctificatum & purgatum  
 id est, ex fide & dilectione Christi factū.  
 Deus enim dedit potestatem, qui mali  
 sumus, vt boni fiamus per fidem. Ioan. 1. Augusti. de  
 verb. Domini in Matthæum sermone 12. Fide enim  
 Spiritus sanctus purgat corda, Actor. 15. & dilectione  
 in Christum & in proximum, sanctificat, Galat. 5. Fi-  
 des que per dilectionem operatur. Signanter dicitur  
 ex fide Christi & dilectione in Christum, quod opus  
 sit bonum. Nam Iudæorum & gentium opera non  
 sunt bona, quia non ex fide & dilectione Christi.  
 Sic fides & dilectio sanctificat arborem & fructus,  
 personam & opus, & licet homo carne peccator sit,  
 opus tamen eius bonum reputatur à Deo propter  
 proximum & fidem & dilectionem Dei & Christi.

Secundo, licet fides & dilectio faciat opus homi-  
 nis peccatoris bonum, non tamen tanta est dignitas  
 operis, vt ex sua virtute mereatur remissionem pec-  
 catorum & vitam sine fide in misericordiam Dei  
 propter Christum, oportet semper simul esse iuncta,  
 fidem & opus. Nam legi Dei nemo satisfacit pro-  
 pter immunditiam nobis adhærentem vsque ad in-  
 cinerationem. Ante mortem naturalem non mori-  
 untur in nobis mali motus naturæ corruptæ, Roma.  
 quarto, Lex iram operatur, Ideo oportet semper esse  
 cum opere fidem Christi in Dei misericordiam. Sic di-  
 cit Apostolus Romano, octauo: Non sunt condignæ  
 pœnæ. Luc. 17. Cum omnia feceritis, & hæc est cau-  
 sa, quod non fundamus salutem & remissionem su-  
 per opera nostra, sed super Dei misericordiam pro-  
 pter Christum, vt promissio sit certa per fidem, Rom.  
 quarto. Nam propter nostram immunditiam, qua  
 non satisfacimus legi, certi esse non possumus.  
 Non igitur opus nostrum bonum est causa iustifica-  
 tionis,

tionis, sed CHRISTVS.

Tertiò, quòd speramus præmium bonorum opum, sicut dicit Paulus 1. ad Timot. 4. Bonum certamen certavi, reposita est mihi corona iustitiæ, &c. & Psalm. 118. Inclinaui cor meum &c. Matthæi 19. & 25. Ioannis 5. Qui bona fecerunt &c. Rom. 2. Redde vnique iuxta opera sua, Matt. 5. Merces vestra &c. Hæc omnia dicuntur propter promissionem factam operibus, & non propter dignitatem operum. Ipse Christus promittit præmium operibus, sed causa cur promittit, non est dignitas operum, sed gloriosa promissio sua. Ex sua promissione nobis debitor fit, non propter operis operati dignitatem: ipse dicit, merces erit copiosa, &c. Sic pro ieiunio, Elemosyna, oratione, & calice aquæ frigidæ, &c. Matt. 6. & 10. Christus promittit præmium.

Quartò, opera bona media sunt, per quæ nobis distribuit suam gratiam Christus, per quæ nos ducit in possessionem vitæ æternæ, Matthæi 25. Sine igitur medijs nemo particeps erit gratiæ Christi. Igitur sunt maximè necessaria bona opera, id est, obedientia legis, quam fides non abrogat, Roman. 3.

Christus & sua passio est precium & hostia, meritum & pecunia vel persolutio pro peccatis totius mundi: opera nostra, media sunt, quibus distributionem & participationem vnà cum fide acquirimus, appropriamus scilicet & retinemus, sine illis medijs nõ acquiritur participatio beneficij Christi.

*OPERA BONA QUARE EXI-  
guntur, & quid impetrent, si gratia totum facit.*

TITLVS CLVII.

Primo